

Justus Christianus Loder D. Solemnem panegyrim dignissimi medicinae candidati F.E. Nicolai ... habendam indicit. Probatur ex anatomicis observationibus, circularem aperturam orificii uterini formam certum ineuntis graviditatis signum non esse / [Justus Christian von Loder].

Contributors

Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Stranckmannianis, [1785]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h7fphzkn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI IENENSIS

EX - DECANVS

IVSTVS CHRISTIANVS LODER D.

SOLEMNEM PANEGYRIN

DIGNISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

FRIDERICI ERNESTI NICOLAI

I E N E N S I S

A. D. XVIII. IVNII MDCCCLXXXV

HABENDAM

INDICIT.

Probatur ex anatomicis obseruationibus, *circularem*
aperturae orificii vterini formam certum ineuntis
graviditatis signum non esse.

I E N A E

LITTERIS STRANCKMANNIANIS.





Medici obstetricii et forensis est, certa, e
quibus grauiditas cognoscitur, signa in
promptu habere, eum inprimis in finem,
vt iustam de grauiditate sententiam ferre possit, si
vel examinare debeat adultioris aetatis feminam,
quae prolis desiderio ardet vteroque se concepisse
sibi persuadet, aut puellam, quae in amissae pud-
icitiae suspicionem incidit. Error enim in hisce re-
bus turpis est et ignorantiam prodit.




Docent autem, vnanimi consensu, obstetricii scriptores, ea signa, quae medio et ultimo grauiditatis tempore adfunt, certa esse et facile in oculos cadere, ea vero, quae primis mensibus competunt, maxime dubia et quasi occulta esse. Sua dent quoque eam ob causam periti harum rerum magistri, ut prius de grauiditate nemini fidem faciamus, quam ipsam vteri expansionem aut praeuiam fetus partem digito in vaginam immisso tangamus, aliaque grauiditatis indicia externa, qualia sunt abdominis et mammarum intumescencia, tumor globosus in abdomine et ipse embryonis motus, distincte percipiamus.

Vnicum tamen, idque certum, grauiditatis signum iam ante ipsum tertium mensem adesse adstruit Ill. STEIN, quem et secuti sunt alii, iique peritissimi viri. Consistit autem hoc signum in ista orificii vterini mutatione, qua rima illa transuersalis, quae labia orificii interiacet, rotundam aut circularem formam induit. De hoc ita Ill. Vir: *Mutatio, inquit, rimae transuersalis orificii vterini in circularem figuram omnium signorum verae grauiditatis certissimum est et mature adparet. Nec quoque id in prima tantummodo occurrit, sed in iterata quoque grauiditate, paullo tamen serius et minus perfecte, adest* *).

Et si

* Vid. Cel. STEIN theoret. Anleitung zur Geburtshülfe. Edit. II. §. 169.



5

Etſi autem auctoritas Viri egregii et de arte obſetricia longe meritiffimi tanta eſt, vt cum eo vbiuis fere conſentire laudi ducendum ſit, tamen hac in re ab illo paullulum diſſentire nullus dubito. Contigit enim mihi in ipſa cadauerum diſſectione obſeruare, aperturam illam orificii vterini circularem in vteris non grauidis, immo et in virgineis, quorum vagina hymene occluſa erat, cuius rei teſtimonia inter praeparata mea anatomica exſtant. Memini quoque me videre, cum Londini eſſem, in egregio theſauro anatomico Cel. LOWDER, cuius erga me ſingularem beneuolentiam et amicitiam grata mente recordor, vterum nullo vitio laborantem puellae decem circiter annorum, cuius orificii apertura plane circularis erat. Ex his itaque colligi poſſe mihi perſuadeo, et hoc, quod Cel. STEIN magni aeſtimat, ineuntis grauiditatis indicium non tutum eſſe, quippe quod iam ante conceptionem adfuiſſe facile potuit, ſed potius ad illa ſigna referri debere, quibus niti non poſſis, niſi ante conceptionem orificii vterini ſtatum digito exploraue- riſ, quorſum et ipſe vteri in vaginam deſcenſus pertinet, qui tamen, niſi praeternaturalis partium laxitas adſit, grauiditatem ſtatim ab initio prodi- t.

Caueat igitur medicus obſetricius et forenſis ante quartum menſem grauiditatem temere enunciet,



fed vario tempore iteratis explorationibus orificium vteri eiusque mutationes ante examinet, quam aliquid certi in primis mensibus proferat. Turpe enim est, matronas, quae prolem desiderant, vana spe eludere, et dirum, immo plane inhumanum est, puellam infontem criminis proterue accusare.

Sufficiant haec in praesenti. Superest enim, vt caro et valde exoptato officio fungar et commendem Illustris et coniunctissimi Collegae filium tanto Parente dignissimum, qui et idem singulari amicitia mihi iunctus est. Est autem is Praenobilissimus et doctissimus Medicinae Candidatus

FRIDERICVS ERNESTVS NICOLAI

I E N E N S I S

qui non solum a primis inde annis artis salutaris studio indefesse operam dedit, sed et morum integritate praeclare excelluit. En autem egregium vitae curriculum ab ipso Candidato dignissimo veluti in tabula depictum!

Ego, inquit, FRIDERICVS ERNESTVS NICOLAI *natus sum Ienae, anno millesimo septingentesimo sexagesimo, die decimo octauo mensis Augusti. Patrem veneror ERNESTVM ANTONIVM NICOLAI, Facultatis medicae Seniore;* *Matrem vero CHRISTIA-*
NAM



NAM MAGDALENAM ex stirpe BILZINGIANA. Haud defuerunt carissimi et semper pie deuenerandi parentes, per Dei gratiam adhuc superstites, me praeceptoribus priuatissimis tradere, ut non solum christianae religionis praeceptis, verum etiam aliarum scientiarum, tali aetati conuenientium, elementis rite instruerer. In aetate paulo adultiori, graeca et latina me docuerunt, simulque ea, quae sub humaniorum nomine comprehenduntur, Viri de me maximopere meriti, Cl. LENZ Philosophiae Doct̃or, Serenissimi Ducis Saxo - Vinarien- sis et Isenacensis Secretarius ac Musei Carolo - Augu- stei Sub - Inspector, nec non Cl. WAGNER, nunc Gym- nasii Lüneburgensis Conrektor. Horum Virorum sollertia ita praeparatus, eorundem sub auspiciis celeberrimorum inclytæ nostrae Academiae Professō- rum praelectiones visitare coepi, postquam antea anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo septimo in numerum ciuium academicorum a venerando Patre receptus essem. Primum, ut decet, scholas philologicas et philosophicas frequentavi, et praelectio- nibus in HEINECCII fundamenta styli, in linguam graecam, in antiquitates tam graecas quam roma- nas et historiam naturalem Illustris WALCHII pie defuncti interfui. In re numaria, in Germano- rum antiquitatibus, in historia Serenissimae Do-
mus



mus Saxonicae Ill. MÜLELRVM audiui. Matthesin puram et Cosmologiam me docuit Ill. WIDEBVRG, Matthesin utramque Ill. SVCCOW, Logices autem et Metaphysices praecepta mihi tradidit Ven. POLZ b. m.

Deinde Medicorum scholas frequentare coepi, et quidem Ill. NEUBAVER b. m. uniuersam Anatomiam me docuit, eoque duce cadauera humana secaui.

In omnibus reliquis scientiae medicae partibus, ut Physiologia, Pathologia, Semiologia, Materia medica, Therapia utraque, Arte concinnandi formulas, Chemia, Medicina forensi, usus sum praeceptore Patre venerando, eoque moderatore aegrotos visitaui.

Pari cum fructu Illustris GRVNERI, Praeceptoris semper maxime colendi, praelectionibus in Celsum, Therapiam generalem et specialem interfui.

Nec silentio praeterire possum fructum, quem ex lectionibus botanicis Exc. HALLBAVERI percepi, ac studia et officia ab Exp. SCHENKE in me collata, qui in me erudiendo in rebus botanicis, anatomicis chemicis et methodo cadauera artificiose secandi fuit indefessus.

In cadauerum sectione Exp. SCHVLZE mihi quoque fuit auxilio.

Nec pauca debeo Cl. LOEBER, Phil. Doctori, cuius recitationibus philologicis interfui. Physices praecepta

cepta me docuit Exp. HAMBERGER. Operam quoque nauavi in addiscendis linguis exoticis, ut gallica, italica, anglica, in iisque optimis magistris Academiae nostrae usus, viris nempe clarissimis, DE VALENTI, NICHOLSON et ROUX. His omnibus de me optime meritis Praeceptoribus gratias, quas mens mea concipere potest, maximas pro tot tantisque in me collatis studiis et beneficiis, atque pro tanto favore et eximio patrocinio nunc publice persoluo, et ardentissima pro Eorum salute ac prosperitate nuncupo vota.

Meis quoque usus est recitationibus chirurgicis et anatomicis, meque duce artem obstetriciam didicit et exercuit.

Variis hisce, quae animum et ingenium ornarent, disciplinis eximie imbutus Candidatus doctissimus, nuper ab Ordine nostro decenter petiit, ut in Candidatorum numerum reciperetur. Admissus igitur ad examen consuetum, non solum medici Ordinis expectationi, quae, fateor, in tanti Viri filio magna erat, abunde satisfecit, sed et eam eruditionis copiam ostendit, quae vnanimem Examinatorum plausum ipsi conciliauit.

Iam vero in eo est, ut cathedram a. d. XVIII. Iunii conscendat, ex eaque dissertationem suam de *theoria canceri* publice defendat, quo facto ab IPSO



PARENTE VENERABILI, Ordinis nostri Seniore meritissimo et h. t. Decano, doctoris gradu, quo, si quis alius, dignus habendus est, ornabitur.

Adeste igitur, MAGNIFICE ACADEMIAE PRO-RECTOR, S. R. I. COMES ILLUSTRISSE, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, DIVINAE HUMANAEQVE SAPIENTIAE PROFESSORES AC DOCTORES CELEBERRIMI, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, COMMILITONES GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI, ET QVI NOSTRAM HANC CIVITATEM ORNATIS BONARVM LITTERARVM FAVTORES, adeste huic solemni panegyri, et quae Vestra sit erga ordinem nostrum ac meritissimum eius Seniore et Antistitem benevolentia, ipsa Vestra frequentia declarete. Nos autem fauoris Vestri testimonium non solum grata mente colemus, sed et paratum ad quaeuis humanitatis et obseruantiae officia animum lubentes spondebimus.

P. P. sub sigillo Ordinis medici, Ienae a. d. XV.
Iunii clcclccclxxxv.

